



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ecclesia Cathedrali Cæsaravgvstæ. Ioannis Baptistæ Tvrricelli Responsum

Torricelli, Giovanni Battista

Romæ, 1656

Num. 22. Secundum adminiculum ex auctoribus deductum, qui Ecclesiam del Pilar Cathedralem asseruerunt, contraria scriptorum traditione refellitur, itemq. ex text. in can. quis nesciat. 11. dist.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13380**

## §. III.

- N. 22. **S**ecundum Adminiculum ex Auctorum testimonio desumptum qui Ecclesiam B. Mariæ Virginis fuisse antiquitus Cathedralē prodiderunt, contraria Scriptorum traditione, & validissimis rationibus tollitur.
- Primum enim grauissimi Auctores Parochialem Ecclesiam eam appellant: nam Hieronymus Blancas rerum Aragonensium *comment. fol. 11.* capta à Mauris Cæsaraugusta Christianos in Parochia Virginis Mariæ del Pilar Septos, inclusosque habitasse memorat: atque Vrbe ab Alphonso Rege recepta Benearnensi Vicecomiti Christianorum Muzarabū Regionem quæ Parochiæ Ecclesiæ Beatissimæ Virginis del Pilar finibus terminabatur, assignatam testantur *idem Blancas fol. 130. & Zurita annal. lib. 1. foll. 43.*
- Secundo loco ponderatur *text. in Canone quis nesciat 11. dist.* ubi habetur, *Manifestum esse in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes nullum instituisse Ecclesias nisi eos quos Venerab. Petrus, aut eius successores constituerunt Sacerdotes &c.* qui textus cum de Cathedralium fundatione communiter accipiatur, Cathedralē nullam à Iacobo Apostolo in Hispania erectam omnino conuincit; quod idem sensit doctissimus Baron, in *annot. ad Martyrologium Romanum in festo S. Iacobi 25. Iulii.*
- N. 23. Nec tollitur argumentum responsione *ex glos. deducta*, quæ *d. text.* ita intelligendum censuit, vt nullus Apostolorum sine mandato Petri in dd. Regionibus Cathedralē fundauerit: proinde cum omnibus Apostolis ad gentium prædicationē euntibus huiusmodi auctoritas à Petro concessa supponatur, neuiquam *d. textui* aduersari videtur, B. Iacobum supposito Petri mandato in Vrbe Cæsaraugusta Cathedralē Ecclesiam instituisse.
- Siquidem *glos. interpretatio*, admitti non potest, cum mea sententia quam grauiori iudicio semper submitto non subsistat suppositum de auctoritate instituendi Ecclesias

Apo-